



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

22 Opus, quod pro indulgentia obtinenda imponitur, debet esse ordinabile,
& conducibile ad honorem Dei, & fidei exaltationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

visitationem Terræ sanctæ, liminum Apostolorum, & S. Jacobi de Compost. in gratiis regendis pro magno Dei beneficio, ut pro pace facta inter Princ. Christianos, pro conversione ad fidem alicujus Provinciæ, vel civitatis, pro victoria contra hostes Ecclesiæ, pro hæreticis repellendis, 24 sedando schismate, & pro notabili numero captivorum redimendo, Congreg. sacr. Conc. Trid. *super decr. de indulg. sess. 25, decis. mihi 395.*

21. Hinc fit, ut opus, † quod pro indulgentia obtinenda imponitur, debeat esse ordinabile, & conducibile ad honorem Dei, & fidei exaltationem, quare, si hoc habuerit, sufficiens videtur ad dandam indulgentiã: & ita in eo non tam attendenda erit quantitas, quàm illius qualitas, tum quia indulgentia respicit principaliter gratiam † non meritum hominum, quia aliàs non diceretur indulgentia, per citatam gloss. mag. in *extravag. com. c. 1. de penit. & remis. & Graff. decis. aur. d. c. 15. num. 51. in fin. par. 1. lib. 4.* tum etiam, quia respicit meritum Christi, super quo fundatur, & ex quo sumitur, quia passio Christi fuit excessiva, & excessus vocatur, *Luc. c. 9.* ubi habetur, quòd in Transfig. Christi apparuerunt Moyses, & Helias, & loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem: quoniam unica gutta tam pretiosi sanguinis sufficisset pro redemptione totius mundi, quia propter unionem humanitatis cum persona divina verbi factam, quantula quæque passio ab eo tolerata pro redemptione nostra habebat pretium infinitum, & ne tam magnus excessus inanis, & frustratorius remaneret, voluit Christus, ut, tamquam inexhaustus thesaurus in Ecclesia esset per Rom. Pont. Vicarium

suum fidelibus loco & tempore dispensandus, ut in d. gloss. mag. quam sequitur Fely. in d. *serm. de indulg. n. 3. vers. & in hoc S. Tho. 3. par. 1. q. 46. art. 5. ad 3.* & Navar. in eod. *com. de indulg. not. 12. n. 2. & 3.* Passio enim Christi est infiniti valoris, & meriti; unde Summus Pont. † & illi, quibus ipse committit, possunt hujusmodi merita Christi, B. M. ac Sanctorum, ubi necesse est, dispensare, Graff. eod. *c. 13. nu. 52.*

Tertium verò requisitum ex parte ejus, qui vult consequi indulgentias, sicut ipsa etiam natura nos docet, non posse subjectum formam aliquam in se recipere, nisi ad illam fuerit per præcedentes dispositiones prius bene præparatum, sic idem censendum est venire, etiam suo modo in spiritualibus, & in specie, quoad indulgentias obtinendas, & ideo debet, qui vult indulgentias consequi, se ad illas suscipiendas ritè disponere, cum agens non agat, nisi in patiente bene disposito, & debet esse in statu charitatis, nempe verè pœnitens, & confessus, ad hoc, ut sit idoneus ad indulgentias consequendas, facit *text. in cap. pastoralis, in fine, de appell. & Graff. eod. c. 15. nu. 51. vers. secundo requiritur.*

25 Duplex autem † requiritur dispositio, & præparatio ad indulgentias consequendas, una interior, & altera exterior. Interior est, qua homo per contritionem repellit à se peccatum mortale, tamquam impedimentum ad fructum indulgentiæ percipiendum, & hæc quidem dispositio, si loquamur de tempore, quo percipienda est indulgentia, est omninò necessaria; tum, quia non potest remitti pœna, nisi prius remissa sit culpa, cum Deus non tollat reatum pœnæ sine

H deoro